



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm Novembris Et Decembris

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10263

F. Lavr. Svrivs Lectori S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77423)

F. LAVR. SVRIVS LECTORI S.

Visum est mihi, postquam ad duodecimi mensis finem peruentum est, paucis commemorare eos, quorum opera in his sex Tomis adiutus sum, ut noveris non parum illis te debere, Candide Lector, si quem fructum his legendis affecturus sis. Non tamen annotabo omnes, sed praecipuos, & qui animo occupaverint: ceteri dabunt veniam, si quid putent a me praetermissum contra decorum. Neque enim angustia temporis sinebat iam omnia exacte persequi. Primo loco plurimum debet Christiani omnes ornatisimo viro D. Geruno Calemo, qui ut primus mihi suavor & incetor fuit ad hos labores suscipiendos, ita magnis sumptibus non destitit coquirere codices manuscriptos, aut pro altitudine missis numerare pecunia illis, qui eos attulerunt: tum quoque eo studio & elegantia curavit sex Tomos hos excudendos typis suis, ut vel hoc solo nomine dignus sit, quem ament pij omnes, & sacrarum historiarum studiosi. Deinde magna habenda sunt gratiae reverendissimo doctissimoque pie memorie Episcopo Aloysio Lipomano, ex cuius Tomis octo, totum fere Metaphrasticum in meos Tomos transfusi, qui tres illius Tomos occupat: tum quoque nonnulla alia. Non autem debet Lector arbitrari, Aloysio tribuenda esse, quae ille ex libris antea editis descripsit. Ea enim non magis illius sunt, quam mea, vel cuiuslibet alterius, qui ea inde describere velit. Metaphrasticum proprie illi debemus. Longe autem plura ex MS. codicibus & aliunde ego habeo, quam ex Aloysio: quod idcirco indicatum volui, quod audiam quosdam in Italia molestè ferre, quod meis Tomis non praefixerim Aloysij nomen: quod sane fecissem, si ex illo omnia mutatus essem. Cum vero vel certam partem ab illo me accepisse affirmare non ausim, nemo iure id carpere potest: quaequam hac in parte plus a me praestitum est, quam ratio postularat. In fronte enim cuiuslibet Tomi testatus sum, me partim habere historias illas ex ipso Aloysio, quod sufficere alicubi in Epistola liminari indicasse: sed volo etiam in meis Tomis extare memoriam optime de Ecclesia Dei meriti Episcopi. Fateor tamen imprudenter a me omisa esse nomina inter praeterita, qui hortante Aloysio Metaphrasticum nobis latuit fecere: sed qui Tomos Aloysij habent, facile norunt maximam eius partem transfuisse Genciantium Heruetum doctissimum virum, reliqua partim Guilelmum Sirletum, tunc Protonotarium Apostolicum, modo Cardinalem lectissimum, non minus ritae integritate quam eruditione spectatum: partim Franciscum Zinum Veronensem, pietate & doctrina praestantem. Tertio loco mihi non immerito annotandus venit reverendus & praecclare eruditus sacrae Theologiae Doctor D. Iohannes Molanus Louanienfis, qui certe per multum mihi contulit tum annotationibus suis in Vsuaridii Martyrologium, tum priuatim quibusdam scriptis suis: tum etiam conquirendis libris manuscriptis. Per illi enim habui septem codices manuscriptos ex monasterio Rubenwallensi, quod non ita procul abest Bruxellis: qui mihi in quibusdam usui fuerunt. His subiungendus est admodum reverendus & insignis vir D. Iacobus Pamelius, S. Theologiae L. & Canonicus Brugensis, cuius opera non pauci ad me venire MS. codices, qui mihi sane egregias suppeditaverunt historias, quibus lector careret, si illis destitutus essem. Habui etiam aliquot antiquos MS. libros a Reverendo imprimis & spectabilissimo Abbate monasterii Bruylerensis, qui eos ulterius mihi obtulit studio Ecclesiae iuvandae, & sacrarum historiarum editionem promovendi. Ab alijs quoque diversis egregijs viris & collegijs atque monasterijs habui codices non contemnendos: sed neque iam succurrunt memoriae omnes, neque temporis angustia patitur singulatim recensere omnes. Non possum tamen, nec debeo committere, quod is mihi haec scribenti opportunè occurrit, quin mentionem faciam doctissimi & integerrimi viri S. Theologiae Licentiat D. Melehoris Huttorpij, qui praeter alios labores, quos his edendis Tomis imperavit, aliquot Aloysij Tomos, quos ipse suo aere coparaverat, non inuitus nobis tradidit discernendos, ut, si qua in illis essent, quae nobis forent usui, ea Typographo excudenda praebereimus.

Postremo admonitum velim Lectorem, Tomo primo primae editionis 11. Februarij posuisse me historiam SS. Saturnini, Datini, Felicis, Apuleij &c. quae quidem in Acta publica videtur bona fide relata: sed qui eam inde descripsit, quaedam postea attulit, quibus se de factione Donatiana valde suspectum reddidit. Acerbe enim perstringit Episcopos Melsurium & Cecilianum: quod primo quidem non ammadoriti: sed admonitus a doctis viris, cum accuratius iam excusam longè ante historiam relegissem, doluisse illi non irrepsisse me imprudenter in sacras historias. Itaque tolli & expungi debet, quae pagina 954. habentur ab eo loco, Verum quonia nos, ut supra diximus, schismatis tempus admonuit &c. usque ad eius historiae finem. Nam tunc si nulla illic dogmata haeretica continentur, tamè non est extare quoquam suspectum in sacris Historijs mea opera emulgatis. Vereor enim multos ibi ab Authore inter martyres numerari, qui Donati schismate depravati fuerunt: quanquam id certò affirmare nolim. Sed ne cui scriptum dubium offendiculo sit, satius omnino est, totam illam Authoris suspecti Appendicem abolere: quod quidem in Germanica versione interpretis, me admonente, praestitit, nisi quod paucissimos, eosque extremos versus suae versione adiunxit, quos planè velim ex cunctis exemplaribus erasos: quia illic nominatim perstringatur Melsurius & Cecilianus Episcopi Carthaginienses. Simul autem oratum velim Lectorem, ut si non omni ex parte toto hoc opere ipsi satisfactum sit, (multa enim erunt proculdubio, quae alij brevius, alij fusius scripta velint) a quo animo id ferat. Habet docti viri occasione multa ex me, ut possint absolutiora exactioraque nobis quoad exhibere, quae in meo opere desiderari videntur.

REVE.